Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26827
Copyright: Admont, Benediktinerstift

maledixisset genti iudeorum eam tributariam
faciendo. Ex peccato enim tributum redde
bant humiliati, sicut illis in lege predictum
erat. Tenemus illum aiunt maledicto
rem gentis nostre. si nos iusserit tributum
persoluere. si autem dixerit. nolite persoluere.
tenemus eum quod contra dixerit nos deuotos
esse cesari. Talem decipulam quasi ca
piendo domino posuerunt. Sed ad quem ue
nerunt? Qui nouat conterere dentes eorum
in ore ipsorum. Ostendite mihi nummum in
quit. Quid me temptatis hypocrite?
De tributo soluendo cogitatis? Iustitiam
facere non uultis? consilium iustitie queritis.
Si uere utique iustitiam loquimini, recta iudi
cate filii hominum. Nunc autem quia alia
loquimini. alia iudicatis, hypocrite
estis. Quid me temptatis? Nunc contera
dentes uestros in ore uestro. Ostendite mihi num
mum. Et demonstrauerunt ei. Et ille non
dixit cesaris est. sed interrogat. cuius est. ut eorum
dentes in ore ipsorum conterantur. Queren
te quippe illo. cuius haberet imaginem et in
scriptionem. illi cesaris dixerunt. Iam nunc
dominus conteret dentes eorum in ore ipsorum. Iam
respondistis. iam contriti sunt dentes uestri in ore
uestro. Reddite ergo cesari que cesaris sunt. et deo
que dei sunt. Querit cesar imaginem suam, red
dite. querit deus imaginem suam, reddite.
Non perdat ex uobis cesar nummum suum, non
perdat deus in uobis nummum suum. Et illi non
inuenerunt quid responderent. Missi
enim erant ut calumpniarentur ei. et re
dierunt dicentes. quod nemo posset re
spondere ei. Unde? Quia contriti sunt den
tes in ore ipsorum. Inde est et illud. In qua
potestate hec facis? Et ego interrogabo
uos inquit unum sermonem. respondete mihi. Et tunc
rogauit de iohanne. unde esset baptismum

iohannis. de celo an ex hominibus? ut si quid re
sponderent contra illos esset. Noluerunt
dicere ex hominibus, timentes homines ne la
pidarentur ab eis. quod iohannem prophetam ha
bebant. Dicere de celo plus formidabant,
ne faterentur ipsum christum. quia iohannes predica
uerat christum. Coartati utrimque ex hac et ex
hac parte, qui parabant obicere crimen re
sponderunt ignorantiam. Dixerunt.
nescimus. Calumpniari enim preparabant
quando dixerunt in qua potestate hec
facis. ut si diceret christus sum, quasi arrogan
tem. superbum. sacrilegum inuaderent. Nolu
it dicere christus sum. sed quesiuit de iohanne quem
dixerat quod ipse esset christus. Illi non sunt ausi re
prehendere iohannem. timentes ne a populo occiderentur.
non sunt ausi dicere uerum dixit iohannes. ne diceret eis.
credite illi. Obmutuerunt, nescire se dix
erunt. Iam mordere non ualebant. Un
de non ualebant? Iam occurrit uobis.
Contriti sunt dentes eorum in ore ipsorum. Pha
riseo displicuit illi dominus quem ad prandium uo
cauerat. quod peccatrix mulier accesserit
ei ad pedes. et murmurauit aduersus eum
dicens. Si esset hic propheta, sciret que mulier
illi accessit ad pedes. O tu propheta, unde scis
quod nescierit que mulier illi accessit ad
pedes? Quia seruabat uidelicet mun
ditiam iudeorum. que a foris quasi custodie
batur in carne. et non colebat ex corde.
hoc de domino [illegible] suspicatus est. Dominus
autem qui pecca[illegible]ta mulieris no
uerat. etiam cogitationes hospitis audie
bat. et respondit que nostis. Et ne diu
hinc loquar, tamen more eius uoluit con
terere dentes eius in ore; posuit enim. Duo debito
res erant cuidam feneratori. unus quingen
tos debebat denarios. alius quinquaginta.
Non habebant unde redderent, dimisit ambobus.